

EPISTULA LEONINA

XCII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM SECUNDAM (92) !

**ARGUMENTUM
SACERDOTES LIBERO ORE LOQUENTES (II)**

**Olaus Latzel Pastor euangelico-lutheranus Bremensis –
estne fidei defensor an praedicator odii?**

1. Olaus (*Olaf*) Latzel quis sit.
2. Homilia Olai Latzel in dubium vocata.

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam secundam. Agitur in hac Epistulâ de re theologicâ: sicut iam in Epistulâ Leoninâ nonagesimâ primâ, Latinê reddidimus verba sacerdotis cuiusdam libero ore loquentis.

Istac enim aetate angelicâ, qua Germani morbo politicae rectitudinis similiter infecti sint ac racemi robigine, raro fit, ut quivis, immo sacerdos, loquatur ore libero. - Quo usque tandem abutêre, Angela, patientiâ nostrâ? -

Itaque homilia Olai Latzel Bremensis pastoris animarum nobis visa est digna, quam togâ indutam tibi, cara Lectrix, care Lector, hęc loco praeberemus legendam. At nullo modo tibi inculcare conabimur, quid nobis ipsis videatur de argumentis Olai; pace tuâ te rogamus: ludica tu ipse! Butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum.


**Pancraticê vale et perge mihi favere! Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Dominico, **31. m. Ian. a.2016**



NUNC TANDEM

CRABATUS LATINUS

ÊDITUS EST.

TOLLE LEGE LAETARE !



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>

Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !



QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR

UBI LOQUI DEBUIT ATQUE POTUIT

BONIFATIUS VIII.

(1230-1303)

Haec sententia invenitur in Corporis Iuris Canonici Libro Sexto. Hanc collectionem, cui insunt consulta conciliorum edictaque papalia, inchoavit Bonifatius VIII., qui papa fuit ex a.1294 usque ad a.1303. Iam in iurisdictione Graecorum Romanorumque haec sententia valuisse apparet ex similibus verbis apud Sophoclem et Platonem et Ciceronem dictis.

SACERDOTES LIBERO ORE LOQUENTES (II): Olaus Latzel Pastor Bremensis evangelicus

Olaus (*Olaf*) Latzel quis sit

Per Dei voluntatem¹

SCRIPSIT CHRISTIAN WETH d.22.02.2015, LATINE REDDIDIT NICOLAUS GROSS

Nullus umquam pastor Bremensis in officio divino tantum progressus est quam Olaus Latzel. Nullus tam bene notus est quam hic. Neque ullus alius tam litigiosus. Olaus Latzel unâ tantum homiliâ id assecutus est, ut per totam rem publicam foederalem homines loquantur de se, de suâ paroeciâ deque fide. Necnon de iis rebus, quas parochus liceat in homiliâ dicere quasve non liceat. Quis est hic vir, qui dicitur ecclesiam Bremensem in discrimen adduxisse? Quibus rebus is vir inducitur? Quid vult – et qua de causâ? En accipe Olaus Latzel quis sit.



Ecce Pastor Olaus Latzel, in recessu apparet Ecclesia Sancti Martini Bremensis.

Sunt res inter caelum et terram sitae, in quas hic vir credit tamquam infans. »Tamquam puerulus, ita est«. Hic vir est 47 (quadraginta septem) annos natus, theologiae pernoscendae studuit et de angelis sic loquitur ut alii de pedifollio. De angelis et miraculis. »Ita est, haec credo«. Quia hae res insunt bibliae. Ea autem, quae insunt bibliae, exstare credit *Olaus Latzel* – sic vocatur hic vir. Qui credit omnia, quae de illis rebus scripta sunt, verbum de verbo, necnon de illis habet homilias.

¹ [http://www.weser-kurier.de/bremen/bremen-stadtreport artikel.-Um-Gottes-Willen- arid,1062815.html](http://www.weser-kurier.de/bremen/bremen-stadtreportartikel.-Um-Gottes-Willen- arid,1062815.html)<http://www.weser-kurier.de/bremen/bremen-stadtreport artikel.-Um-Gottes-Willen- arid,1062815.html>

Hic pastor hodie paululum aegrotat. Eius collum non est biffulâ^{2*} circumdatum, sed anaboladio coloris opaci. »Perfrictionem«, inquit »contraxi« et abnuit. Aliae res ei videntur graviores, e.g. sentit quaerendum esse, quidnam pastori adhuc liceat paroeciae suae dicere. Num saeculo vicesimo primo bibliâ possit hominibus explicari verbum de verbo. Num sint sacerdoti limites, num sit ius, quo eidem interdicator, ne loquatur. Necnon - ut diximus – pastor sentit loquendum esse de angelis atque miraculis.

Olaus Latzel in albo sessibulo coriaceo graphei sui domui paroeciali Sancti Martini insiti sedens locos Scripturae recitat. Loquitur de partu Mariae virginali - »scilicet hic partus sit reverâ factus«. De cibatione quinque milium³: »ibi nulla facta est techna aut res similis«. Necnon loquitur de se ipso. Se, Olaus Latzel, ipsum expertum esse miracula. Subito hic vir sedet non iam more solito sedet in sessibulo, sed nunc sedet more autoraedarii. Dorsum eius est rectissimum, manûs erigit in aera, quasi teneant rotam moderatricem: Olaus Latzel personam gerit sui ipsius alumni olim academici in stratâ autocineticâ autoraedam praetervehentis. Olaus manûs vehementissimê torquet sinistrorsum et dextrorsum, moderatio per momentum quoddam temporis deficit... At proximo temporis momento moderatio denuo operatur, Olaus denuo gubernat. »Illud autem fuit momentum, quo Deus mihi misit suos angelos«.

Olaus Latzel pro certo habet magistrum suum linguae Latinae fuisse angelum. Pastor adhuc dorso rectissimo in sessibulo sedens manûs complicat, quasi velit orare. Alteram fabulam narrat de se: Nunc Olaus est discipulus ante ianuam classis suae genua flectens Deum orans, ut sibi ignoscat. Nam deprehensus est in examine abiturii verba a

² ***biffula**, -ae f. *orig. Beffchen*. Est sacerdotum collare bifidum. Deminutivum ab interprete confictum, secundum verbum mediaevale apud Ducangium inventum. cfr etyma verborum „+cappa“ (theod. “Kappe”) et „+almucia“ (theod. “Mütze”), quae primo spectaverunt ad tegimenta totius corporis, postea ad capitis tantum. – cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Beffchen> Das Beffchen (lat. *biffa* „Halsbinde“) ist ein seit dem 17. Jahrhundert am Halsausschnitt getragenes 10–15 cm langes rechteckiges weißes Leinenstück. – cfr **Ducange s.v. biffa.:** „*Panni species*, nostris etiam *Bife* et *Biffe*. Comput. Ms. ann. 1239: Giloto de Bria pro Biffis emptis per Odonem de Cormallio, ad vestiendas feminas reginae, xxij. lib. iij. sol. viij. den.” – Etymon videtur esse arabico-persicum: <http://www.etymologiebank.nl/trefwoord/bef1> P.A.F. van Veen en N. van der Sijs (1997), *Van Dale Etymologisch woordenboek*: “bef¹ [witte doek voor de borst] {*beffe* [halskraag, muts] 1450; de huidige betekenis 1599} middelnederduits *beffe* [koormuts, mantel], engels *baft* [een grof, meestal katoenen weefsel], oudfrans *biffe* [een gestreepte stof, later gedeprimeerd tot vod] < **middeleeuws latijn *biffa*** < **arabisch *bafta*** [**calicot**, **Indische katoen**] < **perzisch *bāfteh*** [**textiel**], eig. verl. deelw. van *bāftan* [weven], vgl. oudindisch *urna-vābhi-* [wolweefster > spin]; het engels *baft* is waarschijnlijk ontleend aan hindi *bāftā* < perzisch *bāfteh*.”

³ Evangelium sec. Marcum 6,35-44 Mt 14,13-21; Lc 9,10-17; Ioh 6,1-13 – cfr cibatio quattuor milium, Mc 8,1-9, Mt 15,32-38.

condiscipulo scripta aucupans. Subito magister latinitatis iuxta Olaum stat sciscitaturus, quid factum sit. Aliquando îdem manum capiti discipuli imponens dicit illi non esse timendum. »Postea opus meum examinis tamen est aestimatum. Nota secunda cum signo positivo (2+)«⁴. Olaus Latzel: »Licet nonnulli« inquit, »hoc dicant effectum esse necessitudine, qua cum illo magistro coniunctus essem«. Nam Olaus ita ut magister latinitatis membrum erat chori scholaris musici. At pastor dicit se notam illam accepisse voluntate Dei. Itaque Olaus in illo gymnasio privato, quod situm est in regione fluvii Segae⁴, abiturio finito notam accepit mediam, quae est 1,3 (duo – virgula – tria).

Primo Olaus Latzel noluerat fieri pastor animarum, sed miles. »Hoc officium mihi placuit propter signa honorifica vestesque militares«. Sed quamvis pastor factus viro militari haud est dissimilis. Eius capilli sunt resectae, eius vox interdum est tam aspera quam clamor imperandi aulae castrensium, Olaus staturâ est athleticâ: lâtus, torosus, longus. Hic pastor animarum est longitudine unius metri nonagintaque duorum centimetrorum. Ter in septimanâ îdem frequentat centrum gymnasticum⁵, ubi onera solet sublevare. At aetate septendecim annorum cum esset, se ab ILLO appellatum esse. Inter otium quoddam ecclesiasticum⁶, quod degerit prope Francofurtum, hoc factum esse, tempore, quo fierent tonitrua ac fulgura. »Inter fulgura tonitruaque audivi vocem ILLIUS«.

Narratio Olai sonat apocalypsin. »Deus« inquit »voluit me fieri pastorem animarum«. Deus vult. Hoc Latzel saepe dicit. Anno quoque 2007 (bis millesimo septimo), quo Bremam venit et primo stat in ambone⁷ ecclesiae Sancti Martini, sic loquitur: »Deus vult me hanc paroeciam suscipere«. His verbis se membra paroeciae in officio divino salutasse. Ipsis eisdem verbis, quibus hoc fecisset antea in paroeciis suis Hassicâ Electorali et in Rhenano-Vestfalicâ. Ecclesia Bremensis est Olai tertia ecclesia provincialis. Se officium suum neque hîc neque illîc suscepisse ut Dei militem, sed semper ut ministrum. Se adesse, quia agatur de voluntate Dei. Quia sequatur Dei voluntatem. Nec plus.

Interrogatus, num Deus ipse vellet se talem homiliam habere, qualem habuisset d.18. (duodevicesimo m. Ianuarii), Latzel non certo scit respondere. »Hoc ipse quoque ILLUM interrogavi«. Sed ILLUM nondum

⁴ regio Segae i.e. orig. *Siegerland*. Segae („*Sieger*“) est fluvius.

⁵ centrum gymnasticum, i.e. orig. *Fitnesscenter*.

⁶ otium ecclesiasticum, i.e. orig. *Kirchenfreizeit*.

⁷ ambo, -onis m. orig. *Kanzel*. cfr Albert Sleumer, *Kirchenlateinisches Wörterbuch*, Limburg a.d. Lahn 1926, p.103 s.v. – cfr Joannes Baptista Braschius, *Promptuarium synodale*, Romae 1727, tom.I, p.356: „6. De presbyteris certo certius est, quod non solum concionari possunt, etsi careant officio parochiali; ... Qui sermonem habentes ex ambone, debent esse habitu talari, superpelliceo, ac bireto nigro sacerdotali contexti; necnon stola redimiti ab humeris ad pectus defluente, non autem in modum crucis complicata.“

clarê respondisse. Dies Dominicus fuit secundus post Epiphaniam. Pastor stat in ambone. Eius homilia fit per undetriginta minutas et duodecim secundas. Hoc spatium temporis sufficit ad Ecclesiam Bremensem Evangelicam usque nunc excitandam: Duces eiusdem ab Olao Latzel se avertunt nec aliter ac pastrices pastoresque animarum. Cooperatores ecclesiae resolutione scriptâ postulant, ut in Olaum Latzel animadvertatur. Commissio ecclesiae perquirat homiliam Latzelianam. Actores publici examinant, num in Olaum Latzel inquirendum sit propter demagogiam populivè instigationem⁸. Declarationes fiunt et responsiones et conferentia diurnariorum. In eâdem postea *Edda Bosse* praeses ecclesiae dicet verbis istius praedicatoris ecclesiam Bremensem in crisin irruisse.

Quamvis Latzel adhuc expectet responsum Dei, se excusavit. Pro eo, quod Buddham appellaverat *crassum dominum vetulum, pinguem*⁹, festum sacchari islamicum, i.e. festum ieiunii frangendi *rem stultam*¹⁰, reliquias, quas christiani catholici venerantur, *sordem reliquiarum*¹¹. In hac autem re Latzel confitetur se modum excessisse. Sermonem suum interdum esse aliquatenus asperum, paroeciae christifideles hunc iam novisse ideoque non iam esse consternatos. Seque – quia homiliam semper liberê habeat, quadamtenus libero ore - , se non animadvertisse fieri posse, ut verbis suis fideles aliarum religionum laederentur. »Hoc doleo«.



**EDDA BOSSE PRAESES
ECCLESIAE BREMENSIS**

⁸ demagogia sive instigatio populi, i.e. orig. *Volksverhetzung*.

⁹ crassus dominus vetulus, pinguis i.e. orig. *so ein dicker, alter, fetter Herr*. cfr APUL.met.1,25.

¹⁰ res stulta, i.e. orig. *Blödsinn*.

¹¹ sordes reliquiarum, i.e. orig. *Reliquiendreck*.

Latzel stat in tecti planiformâ¹². Quae accedi potest e grapheo eius. E planiformâ pastor directê spectat ad Visurgim¹³ flumen eiusque ambulacrum riparium¹⁴ necnon sinistrorsum, si quidem vult, spectat ad domum ecclesiae: ad sedem ecclesiae Bremensis principalem, quae a Latzelii homiliâ ideoque etiam ab eo ipso se avertit. Illam homiliam Latzelius dicit a se adhuc affirmari. A se iustum postulatum esse, etiamsi fortasse non postularet apto modo. Eum, qui credat in Iesum Christum, non posse credere in quamvis rem aliam. Itaque aliquem, qui fide sit verê sincerâ, non posse celebrare atque orare cum Iudaeis neque cum muslimis neque cum catholicis. At Ecclesia Bremensis putat praecepto, quod pastor praedicet, violari aliud, cui ipsa maiorem vim attribuat: Ecclesia vult religionum communitatem, non adversitatem. E contrario secundum Latzelium huic praecepto praestat illud, quod est biblicum.

Olaus Latzelius dicit Deum esse caritatem atque spem, sed Deum esse etiam aemulum. Itaque Deum nolle aliquem christifidelem visere meschitam¹⁵. Latzelius non patefacit, quid sibi sacerdoti evangelicali fide firmâ praedito immineat, si tamen viserit templum islamicum. Pro eo confitetur se studere, ne inducatur in temptationem. Neque se, ut sit maritus et pater – ex 16 annis ei est filia – oculis sequi nullam mulierem aliam. De talibus rebus se loqui in ambone stantem: de Scripturâ, de fide, de praeceptis religiosis. Neque de rebus politicis neque socialibus neque de aliis rebus quibuslibet, quae nuntiis diurnariorum tractentur, deque quibus alii sacerdotes soleant homilias habere. »Is, qui ecclesiam frequentat, vult aliquid audire de ecclesiâ.« Ad quemnam finem aliam ecclesiam esse conditam? Hoc nimis saepe oblivisci collegas suas suosve. Item eosdem oblitos esse ea, quae scripta sint in bibliâ. Eâ autem de causâ in dies pauciores homines venire ad illos. E contrario ad se ipsum venire multos: trecentos omni die Dominico sedere in scamno ecclesiastico, centum quinquaginta homiliam suam audire telephono aut interreti.

Vox Latzelii nunc denuo in sessibulo sedentis sonat superbiam. At îdem dicit, si ipse praebeat speciem hominis gloriantis, hanc speciem esse falsam. At theologi universitarii, qui eius homiliam mandatu Ecclesiae Bremensis censuerint, omnino aliud concludunt: Latzelium in maiorem extollere se ipsum, sibi ipsi maiorem vim tribuere quam themati. *Silke Groos* pastoris mores describit verbis multo acrioribus: Quae illum appellat »vanum« et »sui tantum iuris memorem« et »conscientiae

¹² *planiforma, -ae f. orig. *Plattform*.

¹³ Visurgis, -is m., i.e. orig. *Weser*, flumen Bremense.

¹⁴ Bremense ambulacrum riparium appellatur *Schlachte*.

¹⁵ +meschita, -ae f. orig. Moschee; cfr J.F. Niermeyer, *Mediae Latinitatis lexicon minus*. Leiden 1976, p.674.

expertem«. Silke Groos praeses quondam sodalitatis bestias tutandi¹⁶ Siegensis a.2002 postulat, ut Pastor Latzel diplomate venatorio¹⁷ privetur. Nam Latzelius ictu sclopeti necavit canem suum proprium. Qui in ius vocatus a iudice damnatus est multâ mille euronum. Non necesse fuisse, ut pastor illum canem statim necaret, illum portari potuisse ad zoocomium¹⁸. Tamen Olaus Latzelius non est prius convictus¹⁹.

Pastor ipse autem dicit canem illum gregarium fuisse canem bonum. Sed sibi tantum fuisse bonum. »In alios impetum faciebat«. Itaque illum iaculando necasse. Se ipsum hoc facere voluisse. Se hoc debuisse illi animali. Latzelius semper habuit canes. Nunc quoque canem habet, nunc taxoninum²⁰. Îdem adolevit unâ cum bestiis. Parentes eius – pater fuit confector instrumentorum fabriliū²¹, mater mercatrix graphei²² – in regione Segae non habuerunt praedium rusticum, sed stabulum centum gallinis completum. Olaus iam infans voluit fieri venator. Primo iam obtutu, si in eius grapheo sedes, vides eum factum esse venatorem. Ante mensam Latzelii scriptoriam pellis ursina est ornatê disposita, inter sessibula atque stibadium stant iacentve vulpes, taxo, nyctereutes²³, bestiae venatoriae tomento fartae. Pastor non dicit se iaculantem necare, sed dicit se »praedari«. Se cupiditate venandi affectum esse. »Libenter versor in regione naturali«.

Latzelius, qui se ipsum sentit esse hominem simplicitatis provincialis, eâ de causâ nequaquam libenter migravit Bremam in urbem. Ibidem a. 2008 supernomen pastori imponitur: Misogynus enim vocatur, quia interdixit cuidam pastrici hospitantī, ne homilam haberet de ambone. »At hoc illi non interdixi, quia fuit mulier, ut mihi obiectum est, sed quia hoc praescriptum est statutis praesidium paroeciae«. Se nequaquam recusare mulieres ex ambone homilias habentes vesteque talari indutas, sed oportere, ut sint evocatae. Qualem se esse. Nec ullo modo se adversari hominibus homosexualibus (quod a nonnullis falso dictum sit). Virum enim quendam sibi familiarem esse cinaedum.

Nuper a calumniatoribus etiam peius dictum esse se odium praedicantem homines instigare, ut vim adhibeant. Sibi cavendum esse, ne tali verbo utatur, sed istam opinionem reverâ esse stultissimam. Se saepe quidem ex Deo quaerere, quid futurum sit. Sed non fore, ut ex eo

¹⁶ sodalitas bestias tutandi, i.e. orig. *Tierschutzverein*.

¹⁷ diploma venatorium, i.e. orig. *Jagdschein*.

¹⁸ *zoocomium, -ii n., i.e. orig. *Tierheim*. cfr nosocomium, gerontocomium, morocomium, psychocomium.

¹⁹ prius convictus, i.e. orig. *vorbestraft*.

²⁰ canis taxoninus, orig. *Dackel*.

²¹ confector instrumentorum fabriliū, i.e. orig. *Werkzeugmacher*.

²² mercatrix graphei, i.e. orig. *Bürokauffrau*.

²³ *nyctereutes, -ae m. i.e. orig. *Marderhund*.

quaerat, num actores quoque publici sentiant istam opinionem esse stultissimam. Hoc quaerere sibi non esse necessarium, se ipsum iam scire. »Istaec res tota cadet ad irritum«.



**ECCE OLAUS LATZEL PASTOR IN ECCLESIA SANCTI MARTINI BREMENSIS
CONSTANS**

**HANC SYMBOLAM,
QUAE ORIGINALITER INSCRIBITUR “UM GOTTES WILLEN”,
A CHRISTIANO WETH SCRIPTAM ET D.22. m.FEBR. A.2015
IN EPHEMERIDE „WESERKURIER“ EDITAM
IN LATINUM SERMONEM CONVERTIT NOTULISQUE INSTRUXIT
NICOLAUS GROSS**




LEO LATINUS

HOMILIA OLAI LATZEL PASTORIS BREMENSIS IN DUBIUM VOCATA

quam in Latinum convertit Nicolaus Groß.

E Gedeone nos discere posse, quomodo nos purificemus a deis alienis¹.
https://www.youtube.com/watch?v=BrQ_JcROtvg



OLAUS LATZEL PASTOR HOMILIAM HABENS

Gratia fiat vobiscum et pax ab eo, qui adfuit et adest et aderit in omnem aeternitatem, a Domino nostro Iesu Christo.

Aliud verbum, quod hodie audiamus textum homiliae, legitur in Vetere Testamento, in libro Iudicum. Audiamus Iudicum cap. 6, versum 25 usque ad versum 32 in bibliâ Lutheranâ² scriptos, qui inscribuntur: *Gedeon quomodo Deo studuerit colendo.*

¹ orig.: "An Gideon die Reinigung von den fremden Göttern lernen" (Iudices 6, 25-32). Olaf Latzel Pastor euangelico-lutheranus Bremensis hanc homiliam habuit d.18. m.Ian. Brema in urbe, in ecclesiâ Sancti Martini euangelico Bremensi. <https://www.evangelisch.de/inhalte/112787/03-02-2015/die-predigt-von-olaf-latzel-gideon-latzel-gideon-die-reinigung-von-den-fremden-goettern-lernen>

² <http://www.bibelsver.de/text/LUT/Richter> 6

[25] Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quae est patris tui: et nemus, quod circa aram est, succide:

[26] et aedificabis ibi altare Domino Deo tuo in summitate petrae hujus, super quam ante sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum, quae de nemore succideris.

[27] Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut praeceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit. [28] Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc aedificatum erat. [29] Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Joas fecit haec omnia. [30] Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, et succidit nemus.

[31] Quibus ille respondit: Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. [32] Ex illo die vocatus est Gedeon Jerobaal, eo quod dixisset Joas: Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus.

Amen.

Oremus.

Homiliam inscripsi verbis quae sunt: ***E Gedeone nos discere posse, quomodo nos purificemus a deis alienis.***

Vobis attuli quinque puncta. Quae sunt (plura quam priora), sed breviora. Ergo eodem ferê tempore finiemus.

1. Imperium purificandi
2. Purificatio domûs propriae
3. Timor purificandi
4. Impetus propter purificationem factus
5. Auxilium purificandi

Primum est imperium purificandi. Prorsus valet hanc non esse ideam Gedeonis dicentis: ‚Ah nunc mihi aliquid faciendum est pro Domino’, sed Deus ipse hoc illi clarê imperat. Qui dicit: Fac hoc! Decursu huius historiae patet Gedeonem hac re nequaquam delectari, eundemque

timere hoc imperium. At Deus est, qui imperet. Quia Deo nostro sancto atque aeterno, Patri et Filio et Spiritui Sancto, nihil immanius est deis iuxta se positis. Itaque modo in initio lêgimus de decalogo. Primum praeceptum:

2 Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. 3 Non habebis deos alienos coram me. (VULG. Ex. 20, 2-3)

Hoc est praeceptum primum.

Ne deos alienos habeas – idque prae omnibus ceteris, quaecumque veniunt. Hoc est A et Ω, si sequimur Dominum nostrum. Si autem confessionem fidei nostram eloquimur, sicut modo fecimus, eâdem quoque dicimus id quod credimus. Nullum deum esse nisi hunc unum. Nullum nisi hunc unum. At – hoc dicitur in bibliâ - cavendum est, ne iuxta hunc unum Deum ponantur alii dei et idola.

Quod problema tractatur in libro Iudicum? In libri Iudicum capitulo altero legimus, quid fuerit problema Israelitarum illo tempore in Terram Benedictam venientium: eosdam parum clarê parumque definitê se removisse ab idolis illius aetatis, quales fuerunt Baal et Astarte, dei gentium illo tempore certas sedes incolentium. Tum Israelitae dixerunt: »Heus, bene, scilicet habeamus hunc deum eremi, qui certê bene nobis fecit, nonne eum bonum esse experti sumus, ad Mare Rubrum³ cum fuimus, et contra tot hostes cum pugnâvimus. Sed nunc, ubi agros colimus pecoraque alimus certasque sedes incolimus, nonne nunc egemus deis aetatis novae? Nolumus veterem deum oblivisci, sed novos, hos illi addamus, nonne? Faciamus quendam syncretismum, omnia commisceamus, nonne? Hic deus îdem est ac ille, non iuvat distinguere!« Hoc est nihil novi. Hoc est praevetustum.

Legimus in Iudicum capitulo altero, quattuor capitulis antea (Iudices 2,11-13): »Feceruntque filii Israhel malum in conspectu Domini et servierunt Baalim ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum qui eduxerat eos de terra Aegypti et secuti sunt deos alienos... dimittentes eum et servientes Baal et Astharoth«. Deinde sequitur res praecipua (Iudices 2,14):

»Iratumque Dominum contra Israhel tradidit eos in manibus diripientium, qui ceperunt eos et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum nec potuerunt resistere adversariis suis«. Hoc est programma, quod deinde repetitur per totam Israheliae historiam. Ubi cumque Israhelia a Deo, a Deo vivo desciscit cumque aliis deis quaslibet init rationes, omnia

³ cfr Exodus 15,4.

perperam evadunt, omnia perperam evadunt, omnia pessum dantur. Haec legatis, quaeso! Ne cogitatis, istum Latzelium – nec ignoro, quid post hanc homiliam quidam denuo dicturi sint -, istum Latzelium esse irritatorem, istum esse instigatorem. At ego nihil dico nisi ea quae inscripta sunt bibliae. Legatis prophetam Hoseam, illa capitula quattuordecim! Ibi in omni versu agitur de hac re: Vos descivistis, vos descivistis, vos descivistis illis Baalim servivistis. Istam rem hic Deus non vult. Itaque eos proicit. Legite apud Isaiam, legite apud Hiezechielem. Ubique talia invenietis, in toto Testamento Vetere legere potestis, etiam in Novo Testamento. Istam rem hic Deus non vult. Ne pauxillulum quidem vult istam rem. Quod ad istam rem attinet, Deus est persubtilis. Ad istam rem evitandam Deus postulat puritatem absolutam.

Rex Salomo, magnus, magnus rex Salomo, ille, quem scitis cor habuisse apud Deum, cui scitis Deum bis apparuisse – sub finem regni a concubinis blaterantibus persuasus est. Templum aedificaverat Domino. At tum curat etiam templum aedificandum pro *Milkom*⁴ et *Kemosch*⁵, idola, quae eius concubinae secum attulerant, etiam pro iis idolis curat templum aedificandum, ut concubinae quoque bene se habeant. Tempore regnandi exeunte hic rex perquam humanus hoc quoque aedificat. Salomo nescio an cogitet: 'Non solum curo meum deum colendum, sed etiam faciam, ut concubinae quoque in Israheliâ bene vivant veterem superstitionem suam servantes.' Tum legitur in bibliae libro Regum primo, capitulo 11, versu 9: »Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversus esset mens eius a Domino Deo Israhel«. Deinde regnum dividitur. Deinde Israhelia non iam potest permanere. Hoc non est pauxillulum. Hoc est omnino, huic Deo est omnino, omnino fundamentale. Necnon omnino valet id quod in hac historiâ fit, non esse ideam alicuius hominis, sed hoc praecipui a Deo ipso. Necnon nunc fieri potest, ut pergam narrare (si narrarem, vespere adhuc hîc sederemus) de omnibus his rebus, in quibus Deus postulet unam claram solum venerationem sui ipsius, et alteram, qua cultum aliorum deorum idolorumve intellegamus et participamus et omni modo toleremus et quamlibet aliam rem faciamus, omnino negat atque recusat. Haec et illa non possunt inter se coniungi. Hoc est gravissimum punctum primum: A Deo imperatur, ut Israhelitae se purgent ab idolis, a deis alienis.

Punctum alterum: Haec purificatio oportet incohetur in domo propriâ. Israhelia est corrupta, et Gedeon mittitur, ut Israheliam verè purificet. At id, e quo debet incohare, est purificanda domus propria. Nam in Gedeonis domo paternâ stat immanis imago idoli, stat imago *Baalis* imagoque *Ascherae*, nonne? Ex hac re ei incohandum est. Nam una res

⁴ *Milkom*, idolum Ammonitarum. 1 Reges 11,5; 7,33.

⁵ *Kemosch*, idolum Moabitarum, Num 21,29; Jer. 48,46.

ad alteram non quadrat. Ubi primum ad munus vocatus est, ubi primum manifestum est eum munere obligari, oportet finiatur cultus idolorum, qui fit in domo propriâ. Nec aliter res se habet, si fio Christianus, tum oportet desinam colere idola. Tum debeo domum meam purificare.

Si Christianus sum, non iam habeo feliciones⁶, non iam habeo aliquem peningum felicitatis⁷, aut aliam rem quamlibet huiusmodi, quam suspendo e speculo autocineti interno, quam putem me protegere contra res quaslibet adversas. Quaelibet amuleta, quibus insunt quilibet homines sancti, velut Sanctus Christophorus vel alia res huiusmodi. Istud nil prodest, etsi iam gerebatur ab aviâ et abaviâ. Nil prosunt appendiculae clavium Vuduanae⁸, nec statua Buddhae, quae solet conclavi imponi, quia hoc est bellulum, tenêre talem crassum dominum vetulum, pinguem in altari, sive in armario commodo statutum.

Nam talis res est cultus idolorum. Haec res non spectat ad Christianum. Istud absit a nobis. Nec licet respicere oculos ductiles⁹ neque, si qui Christianus est oribates¹⁰, neque ei licet in montibus facere aliquas res occultas aut implorare aliquos deos montanos. At tales res nondum sunt obsoletae. Tales res hodie in more sunt. In tales res ubique incidimus. Habemus neopaganismum, qualis ante centum annos fingi non potuit. Sed talia nunc vehementer in nos irruunt. Iterum iterumque incidimus in idola aliena, in fidem alienam. Ah quales iam homines cognovi! Quales saganæ sunt mihi que hoc narraverunt, qui rebus occultis capti sunt. At talia non tractat Christianus. Qui clarê Iesum sequitur, is talia statim offendet. Statim offendet. Sicut Gedeon hîc loco. Tu debes purificare domum propriam.

Verba qualia sunt »Iesus necnon ...«, non quadrant. Verba quae sunt »Iesus necnon...«, valent te esse hinduistam. Ad hinduistas talia quadrant. Est mihi quidam homo bene notus, bonus amicus, Dr. *Eskepedill*, hinduista. Quocum rixatus sum vehementer. Ei nulla fuit difficultas fidei suae, nam dixit: »Iuxta trecentos miliones deorum meos – quod habuit – Iesum tuum quoque ponere possum«. Qui hinduista liberos suos in Christianam quoque scholam misit. Îdem omnes res tales exquirebat quales quadrabant. »Iesus necnon...« – haec verba quadrant ad hinduismum. Iesum solum, Iesum solum, Deum trinum esse – hoc docet christianitas! Si autem creditur aliquid aliud, oportet purificetur ex eodem. Alioquin oriuntur problemata ingentia.

⁶ feliciones, i.e. orig. *Talismänner*. cfr Georges, *Lexicon Latino-theodiscum*, felicio, -onis m. das Glücksmännchen, PETRON.. 67, 9.

⁷ *peningus felicitatis, i.e. orig. *Glückspfennig*.

⁸ *Vuduanus, -a, -um i.q. ad cultum *Woodoo* spectat.

⁹ oculi ductiles, i.q. orig. *Ziehaugen*. Haec res videtur superstitiosa esse, nescio qualis sit.

¹⁰ oribates, -ae m., i.e. ascensor montium.

Gedeon hîc purgat. Qui omnia rectê facit. Vitâ eius exeunte res fit omnino horribilis. Midianitis devictis Gedeon populo Israheliae dixit: 'Date mihi aliquantulum auri illorum'. Et deinde ex auro plassat idolum proprium, quem Israheliam iubet adorare. Tum dicit biblia: Et hoc »factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam«. ¹¹

Hoc domui eius factum est in ruinam. Adversus talia nos non sumus securi neque ecclesia est segura. Ecclesia quoque iterum iterumque in talia incidit. In aetate reformationis fidei, nonne, magna pars reformationis spectat ad domum purgandam, ad domum propriam purgandam. *Martinus Luther* noluit condere ecclesiam propriam. Qui voluit reformare ea quae erant falsa, praesertim cultum idolorum. Totam istam adorationem reliquiarum, quae illa aetate fiebat. Adorationem hominum sanctorum. Illi non adorabant Iesum Christum, illi adorabant quoslibet homines, qui etiam christiani erant, et sperabant se tali adoratione sanatum iri. Qui aliqua ossa, quae esse ab illis sanctis relictas credebant, aspectantes cogitabant, si illa aspicerent, se redemptum iri a purgatorio. At colebant idola!

Nescio an quis dicat: 'Heus Pastor Latzel, de talibus rebus non debes hîc in Ecclesiâ Sancti Martini homiliam habere. Hae enim sunt res, quas nos omnes iam intelleximus. Quare easdem res nobis inculcas hodie mâne?' In nostrâ societate aliquando inceptum est nobis narrare colendam nobis esse fidem oecumenae abrahamiticae, quae nobis venditur. Dicitur unum solum esse deum nobis omnibus et muslimis et Iudaeis et christianis. Nonne fieri potest, ut vos omnes unâ sitis, nonne nunc debetis unâ esse, ipso hîc tempore, quo res tam terribiles fiunt quam in urbe Parisiorum, necesse est vos unâ esse. Nunc certê vos estis obligati, nonne? Hoc postulatur. Vae ei, qui adhuc clarê perseverat in colendâ religione suâ propriâ, in fide suâ propriâ. Qui appellatur esse talis extremista quales sint illi homines, qui spectent ad *Al Kaidam* et ad *Civitatem Islamicam*.

Nunc fortasse iterum dicetis: 'O bone Pastor Latzel, haec omnia bene scimus'. *Jens Motschmann* pastor quondam noster, nec dubito hoc hic dicere, hoc mense in cuiusdam periodici symbola, symbola principali, periodici, quod inscribitur »*Hanseschnack*«, scripsit nos egêre hac in urbe Bremâ domo quadam, quae appelletur Domus Unius¹². Talis res primo condita est Berolino in urbe. Dicebatur necessaria esse domus

¹¹ cfr Iudices 8,24-27 dixitque ad eos unam petitionem postulo a vobis date mihi in aures ex praeda vestra in aures enim aureas Israhelitae habere consueverant (25) qui responderunt libentissime dabimus expandentesque super terram pallium proiecerunt in eo in aures de praeda (26) et fuit pondus postularum in aurum mille septingenti auri sicli absque ornamentis et monilibus et veste purpurea quibus Madian reges uti soliti erant et praeter torques aureos camelorum (27) fecitque ex eo Gedeon ephod et posuit illud in civitate sua Ephra fornicatusque est omnis Israhel in eo et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam.

¹² Domus Unius, i.e. orig. "The House of One".

oratoria muslimorum et christianorum et Iudaeorum communis. Illi habent quidem oecos orandi diversos, at oportet inter se conveniant, unâ discant, unâ vivant. Domus Unius, id est Domus Unius Dei. Id ipsum, quod Pastor *Motschmann* ex ambone iterum iterumque per viginti annos muneris benedicti, quos emeritus est, eodem modo clarê condemnavit et recusavit quo ego, hoc ipsum nunc postulat, causis quibuslibet. Divinetis, quare hoc postulet. Ego autem nolo divinare, quare. At unum debeo facere, si pastor quondam huius communitatis dicit nos egere tali domo unius in urbe Bremâ, equidem dico: Nullâ re minus egemus quam istac!

Nos egemus Iesu Christi annuntiatio clara. Necnon oportet nos iterum iterumque clarê dicamus: Cave, ne hoc facias: nam unus tantum Deus verus est. Nobis nulla potest esse cum islamo communitas. At his verbis nequaquam sentio – hoc quoque dico clarissimê -, nos erga muslimos non praestare caritatem et indulgentiam. Hoc permultum valet. Deus distinguit peccatum a peccatore. Peccatum non est idem ac peccator. Peccatum nobis est absolutê repellendum, sed peccator est accipiendus. Debemus homines fidei muslimicae accipere cum caritate atque misericordiâ. Si quis eosdem persequitur, debemus eos adiuvere. Hoc est officium nostri, qui simus christiani. In hac re ne quis me falso intellegat.

Hoc est officium nostrum: debemus caritatem exercere erga eos ut proximos.

At si agitur de doctrinâ falsâ, oportet eâdem cum claritate dicamus: ‘Hoc ne fiat!’ Quid, si Ecclesia Germaniae Euangelica (EKD) postulat: ‘Oportet nos hoc unâ faciamus?’ Ab ecclesiis provincialibus iam dispositum est, ut in scholis inaugurandis officia divina fiant fidei islamicae atque christianae communia. Si talia fiunt, parochus euangelicus et catholicus sacerdosque islamicus¹³ omnes unâ precantur ad deum, quem putant esse unum. Istud est peccatum, istud ne fiat!

Oportet ab istâ re ut nos purificemus. Hoc autem dico quam clarissimê. Hoc problema non solum Bremae est, idem mihi fuit in priore paroeciâ meâ, quae spectat ad circulum oppidi *Siegen* ecclesiasticum. Ibidem christifideles pecuniam collegerunt ad labores meschitae Siegensis fovendos. Equidem pugnavi contra istanc pecuniae collectionem. Necnon alii mihi restiterunt. At non licet fieri talem collectionem. Istaec res enim est idololatria. Et in istâ re oportet maneamus constantiâ clarâ. Ut iterum dicam: Haud ignoro interdum aegrê fieri, ut dicamus: nolumus islamum commisceri cum fide christianâ, sed etiam nolumus repellere

¹³ sacerdos islamicus, i.e. orig. *Imam*.

homines fidei alienae. Tamen hôc loco oportet simus omnino constantes. Non licet nobis ab aliis persuaderi dicentibus: ‚Si comprobatis homines, debetis etiam comprobare eorum religionem’. Hoc non debemus, in hac re oportet simus constantes: Exstat unus tantum Deus. Si autem istae res apparent in domo nostrâ, oportet nos purificemus ab istis. Sive apparent in ecclesiâ nostrâ sive in paroeciâ sive in vitâ nostrâ privatâ.

Tertium: Timor purificandi. Certê hoc non est facile factu. Quod biblia dicit perquam dilucidê. Hic Gedeon, hic iudex magnus, est trepidulus. Îdem timet, ne hoc faciat. Itaque iudex hoc non facit die, timet domum patris et timet homines, qui Ofrâ in urbe habitant. Gedeon timet, ne hunc gradum faciat cum Iesu, ne faciat hunc gradum consentaneum cum Deo. Nam scilicet sit Iesus, qui hîc loquatur. Gedeon timet hoc. Eodem modo ac Petrus timet ab ancillâ interrogatus: »Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?»¹⁴

Subito christiani facti erant secta. Itaque ex Iesu discipulis esse id fuit capitis damnari. Itaque Petrus negat. Nam timet. Non facile est confiteri.

Si ad publicum prodis et omnino clarê dicis: »Ego specto ad hunc Deum unum, et is solus est Deus«. Tum cor incipit palpitare, quia hoc habet effectûs in hôc mundo. Fortasse hoc confessus detrimenta capiam professionis, fortasse non iam faciam cursum honorum? Fortasse non iam geram officium ecclesiasticum? Quid liberi mei cogitabunt? Eheu utinam maneat mihi pax cara ... Quoties parentes ex me quaerunt: ‚Ohe filius meus fecit hoc aut illud’. ‚Filia mea nunc amicum habet muslimum’. ‚Num ego quoque debeo muslimicae sollemnitatis particeps fieri, si ab illis invidor, velut ad Festum sacchari participandum aliamve ad stultitiam huiusmodi?’ - Non debemus talium participes fieri, oportet maneamus purissimi. Scilicet tali in re timeas. At credite mihi, non licet nobis timore mundi affectis desistere a timore Domini. Hic timor enim est maioris momenti.

Oportet autem facias secturas – sicut Gedeon hôc loco. Secturas facere – hoc dico expressis verbis – nam nomen Gedeonis significat

¹⁴VULG.Ioh.18,17, cfr Mc 14,66–72; Mt 26,69–75; Lc. 22,56–62; Ioh.18,15–18; Ioh.18,15–18: Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Iesu in atrium pontificis. ⁽¹⁶⁾ Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae: et introduxit Petrum. ⁽¹⁷⁾ Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: »**Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?**« - Dicit ille: »Non sum«. ⁽¹⁸⁾ Stabant autem servi, et ministri ad prunas: quia frigus erat, et calefiebant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se ... Ioh 18,25-27 Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: »Numquid et tu ex discipulis eius es?« Negavit ille, et dixit: »Non sum«. ⁽²⁶⁾ Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: »Nonne ego te vidi in horto cum illo?« **Iterum ergo negavit Petrus: et statim gallus cantavit.**

succisorem, ipsum succisorem. Hic Gedeon non facit pauxillulum, quasi dicat: ‘Ah bene, suspendam pannum precatorium trans ascheram, ne spectetur. Hôc modo satis iam ostendero ascheram mihi displicere. An clam nocte ascherae imagunculam impingam et verba inscribillem?’ At e contrario Deus dicit: ‘Caede, combure, succîde, disseca!’

Ita est: Deus multum postulat. Ita, times. Fortasse cogitas a te aliquid postulari. At hoc non ego postulo. Hoc postulat Dominus noster et Deus. Hac in re debemus dissecare. In patriâ quoque, ubi cancellaria foederalis falsa illa verba repetens a *Wulff* praeside foederali iam dicta declarat Islamum pertinere ad Germaniam¹⁵. Islamus non pertinet ad Germaniam. Scilicet muslimi hîc viventes ad Germaniam pertineant. Absolutê! At islamus nullo modo pertinet ad Deum, coram quo hominibusque in praeambulo Legis nostrae fundamentalis dicimur nos, *responsalitatîs nostrae conscii, aequo iure Europae cunitae participes, pacis mundanae colendae voluntate impleti, ex potestate constituente nobismet ipsis dedisse hanc Legem fundamentalem*¹⁶.

Omnis homo, qui paululum saltem noverit de historiâ, intellegit hunc deum, qui hîc loco memoratur, esse Deum trinum, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Nec esse illum *Allah*. Ergo islamus non pertinet ad Germaniam.

Scio, si ad publicum prodiero et haec clarê dixero, fore, ut nonnulli homines mihi resistant, et si vobis de his tam perspicuê certiores fecero, fore, ut vobis quoque nonnulli resistant – homines vobis praepositi, vicini, cognati agnati. At hoc est, quod Deus a nobis postulat. De hac re debemus discernere. Hîc nos stamus ante bivium. Habetisne pressuram in mundo? An timetis Dominum? *In mundo pressuram habebitis*¹⁷. Hoc scit Dominus Iesus Christus. *Sed confidite, ego vici mundum*. Ne terreamini a mundo, ne terreamini ab aliquibus politicis, ne ab aliquibus parochis pastoribusve, qui narrent vobis iuxta hunc Iesum ponenda esse idola aliena. Ne terreamini!

Nolite timere! Si quidem haec clarê intellexeritis; non quia ego vobis dixi, ut sic vos gereretis, sed quia Sacra Scriptura hoc dicit. Rogo autem, ut in bibliâ legatis de hac re! Perscrutamini hanc rem. Si nunc deliberatis ‘Rectêne Pastor Latzel de hac re iudicet?’, vobis dico: Cum Scriptura

¹⁵ cfr http://www.deutschlandradiokultur.de/die-geschichte-eines-satzes-der-islam-gehört-zu-deutschland.1895.de.html?dram:article_id=308696

¹⁶ https://de.wikipedia.org/wiki/Präambel_des_Grundgesetzes_für_die_Bundesrepublik_Deutschland: „Im Bewußtsein seiner Verantwortung vor Gott und den Menschen, von dem Willen beseelt, als gleichberechtigtes Glied in einem vereinten Europa dem Frieden der Welt zu dienen, hat sich das Deutsche Volk kraft seiner verfassungsgebenden Gewalt dieses Grundgesetz gegeben“.

¹⁷ VULG.Ioh. 16,33 In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

vobis haec clarê dicat, velim vobis animum addere, ut sic faciatis. Clarê ite per viam unâ cum Iesu. Timete Dominum, pressuram in mundo ne habeatis. Tamen pressuram in mundo habemus; hoc clarê apparet ex re modo narratâ.

Quartum: Impetus propter purificationem factus. Quamvis timeat, mandatu Dei Gedeon perficit rem mandatam. Deinde autem fiunt impetûs. Non timet sine causâ. Subito concives concursant dicentes: 'Iste non iam spectat ad nos, istum occidamus'. Talia autem fiunt. Talia fiunt, si tu clarê defendis Iesum. Si hoc nomen magnificas dicens: Huic nomini sôli honor tribuatur, nec iuxta hoc nomen sunt alia nomina, nulli sunt dei alii – tum impetûs in te fiunt. Dum paratus es ad istum mundi syncretismum patiendum, otium habes. Nil tibi accidit. Si unus credit in deum suum pedifollii, alter credit in deum pecuniarium, tertius credit in *Allah*, quartus in aliquos deos hinduisticos, tibi quoque licet credere in Deum tuum bibliae. At vae tibi, si rem sincerê tractas, si dicis: Iesus solus nec aliae illae res, tum impetus in te fiet.

At Lutherus dixit nullum deum exstare nisi Iesum, Iesum, Iesum. Et dixit: 'Cultus reliquiarum totaque ista indulgentia vobis non licet. Nec vobis licet in papam credere'. Scilicet semper fuisse, qui ei resisterent. Ceterum: Ne obliviscamur totam istam sordem reliquiarum istarumque cultum hodie adhuc in ecclesiâ catholicâ latê patêre. Adversus oecumenen in hac quoque re dicendum est: Nobis non licet huius rei participes esse. Etiam haec res clarê neganda est, si quid istius cultûs cum nostro commiscetur. In catholicâ quoque ecclesiâ multi sunt christifideles, quibus difficile sit cultum illarum reliquiarum comprobare. At istud, quod in ecclesiâ catholicâ docetur, stercus est permagnum: quod cuivis christiano catholico verba papae Urbi et Orbi benedictis aut per radiophonum aut televisorium aut in ipsâ Plateâ Petri audienti fiat indulgentia peccatorum sui omnium. Hoc fieri vi hominis tantum haec verba loquentis! Nec aliter iudicandum est de re, quae fit in urbe Aquisgrani¹⁸. Loquor enim de itinere pio, quod ibidem fit septimo quôque anno, et in qua vestis Mariae, spargana Iesu, pannus lumbaris Iesu exhibentur. Qui catholicus istas res aspectaverit, ei dicitur concedi peccatorum indulgentia. Istud est falsum. At si quid contra istam rem dixeris, reprehendêris, quod pacem oecumenicam perturbaveris concordiamque cum catholicis fratribus sororibusque servandam. Si ista reprobaveris, quae iuxta Iesum ponantur, idola ista aliena, tibi fient difficultates.

¹⁸ Aquisgranum, -i n. est *Aachen* urbs Germanica, ubi septimo quoque anno fieri solet iter pium, quod appellatur *Aachener Heiligtumsfahrt* sive *Aachener Betefahrt* sive *Aachenfahrt*.

Paulus Schneider, unus ex illis viris, qui mihi parochi sunt exemplo, qui iam ante alterum bellum mundanum occisus est in ergasterio concentrationis *Buchenwaldensi*, a.1934 fuit in funere, ubi puero cuidam Hitleriano, quem confirmaverat, homiliam habuit lugubrem. Hac homiliâ habitâ rector circuli nacisti ad sepulchrum prodiit et dixit: »Hic puer nunc versatur in *centuriâ Horstii Wessel*¹⁹ apud *Odinum*²⁰, nonne?« Verba fecit neopaganica, lutulentissima. Tum Paulus Schneider istum accessit et dicit: 'Istaec non exstat, non exstat centuria Horstii Wessel. Gerrae sunt! Istaec est superstio paganica!' Medio in coemeterio Paulus Schneider reclamavit illique viro obloquitur. Postridie Paulus Schneider ab astyphylacibus est comprehensus. Deinde incohatae sunt eius passiones. Qui Iesum defenderat.



PAUL SCHNEIDER (1897-1933)

Nostrae quidem difficultates adhuc sunt multo leviores, cari fratres sororesque. Hoc in nostrâ patriâ hîc tempore adhuc sic se habere perquam dilucidê dicam. Nos adhuc rem nostram possumus defendere. Adversarii nostri licet fortasse nos aliquantulum evitent, aliquantulum diffament, licet non iam invitent ad dies natales celebrandas. At de nobis non tam male fit quam aliis alicubi in mundo versantibus, qui velut partim in Iraciâ sive in Syriâ sive in Nigeriâ boreali, timent de vitâ suâ, quia ibi omni septimanâ ecclesiae accenduntur, ubi homines comburuntur, nullâ causâ nisi eâ, qua defendant Iesum. Sed illi tamen fidem suam defendunt. Itaque ex me interdum quaero, quid nos hic faciamus moribus occidentalibus depravatis dediti, quales interdum sumus? Hoc non solum

¹⁹ orig. *himmlischer Sturm Horst Wessels*.

²⁰ Odin, i.e. deus Germanorum antiquorum, in quem nonnulli nacistae (socialistae nationales) credidisse videntur.

ex aliis quaero, sed ex me ipso quoque. Moneo autem, ut hoc defendamus, ut id, quod in mundo libero adhuc nobis licet facere, ut hoc faciamus. Ut verê dicamus sententiam nostram.

At si hoc facimus, hoc vobis verê affirmem, similia experiemur ac Gedeon, similia ac Lutherus, similia ac Paulus Schneider: experiemur resistentias. At haec spectant ad vivam fidem christianam. Christianus, qui impetûs resistentiasque experitur, hoc dico iterum iterumque, is est talis, qualis est oppugnator pedifollii *Ligae foederalis*²¹, qui spatio temporis follem importet tricesies. Si hoc assequeris, ut sis lusor portario adversario verê periculosus, procul dubio in omni lusu decies in te agunt poenaliter. Tum omnis defensor te supplantat. Tum semper te impediunt. Et sic fit etiam de Christiano. Si Iesum clarê defendis, sensu spirituali supplantaberis. Procul dubio. Impetûs in te solent fieri. Nisi iam impetûs in te fiunt, non iam recta est fides tua Christiana. Hoc dico dilucidê. Si tu es oppugnator *Ligae foederalis* et per triginta quattuor lusûs adversarii tecum ne semel quidem ludunt poenaliter, hoc faciunt, quia nescis bene ludere, quia tu cares facultate pedifolliariâ. Si tu Christianus in mundo nullos experiris impetûs, nullas resistentias, scias oportet te frenum manuale nimis attraxisse. Si te purificas ab idolis alienis, hoc non fit nisi in te fiunt impetûs.

Quintum. Sed auxilium quoque fieri potest purificandi. Gedeon timet. Hoc dicit perquam dilucidê: ‚Timeo homines huius urbis, timeo domum patris mei. Nunc reverâ homines veniunt. Gedeon non timet sine causâ. Illi veniunt dicentes ‘occidamus illum’. At subito auxilium fertur ab aliquo, quod non potuit expectari. Nunc pater eum defendit. Is, cuius idolum Gedeon occidit, illud idolum, quod Gedeon diffregit, quod discidit. Is subito Gedeoni assistit et adest dicens: ‚Aduvo eum. Sic ne faciatis. Si vos reverâ istum Baal colueritis, ego vos omnes rationem reddere iubebo’. Tum subito auxilium fertur ab aliquo, quem hoc ferre non expectavisti. Scilicet impetûs fieri. At hoc quoque vobis dico: Si vos clarê Iesum defenderitis, si Servatorem nostrum esse clarissimê affirmaveritis fidemque vestram purificaveritis, impetûs fient in vos, sed experiemini vobis etiam allatum iri auxilium. Et interdum auxilium affertur ab aliquo, quem allaturum esse omnino non suspicati estis.

Lutherum iam compluries memoravi ibi, ubi de reliquiis catholicis locutus sum. Is vir, in cuius terrâ Lutherus vixit – princeps elector *Fridericus Sapiens* -, possedit collectionem reliquiarum in septentrione Alpium maximam. Qui possedit viginti ferê milia reliquiarum. Eius collectioni inerant tales res, quales sunt res, quae putabatur esse pars crucis Iesu –

²¹ Liga foederalis, i.e. orig. *Bundesliga*.

et pars coronae spinarum, spina e coronâ spinarum relicta, collectioni inerat etiam laguncula lacte materno Mariae completa et aliae gerrae permultae istius modi. Necnon Fridericus Sapiens multam pecuniam solverat ad hanc collectionem faciendam.

Fridericus elector quotannis collectionem suam exhibebat; benedictione papali id est effectum, ut is, qui collectionem reliquiarum Friderici Sapiensis spectavisset, acciperet indulgentiam duorum milionum annorum in purgatorio degendorum. Qua collectione Fridericus multam pecuniam lucrabatur. Hominibus multa pecunia erat eroganda ad collectionem Friderici semel in anno spectandam. Ita erat. Qui itinera faciebant magna ad hanc collectionem spectandam. Et nunc venit vir ab eo arcessitus, professor theologiae, vehementerque vituperat eius



**MARTINUS LUTHER IN CASTRO WARTBURG
BIBLIAE THEODISCE REDDENDAE INCUMBENS**

negotium lucrosum repudiatque collectionem illam pulchram, pro qua Fridericus erogavit multam pecuniam. At quid accidit? Ipse hic elector Fridericus Sapiens Lutherum adiuvat. Nisi hic vir fuisset, Lutherus

Vormatiam non reliquisset vivus. Fridericus curat Lutherum abducendum ad Castrum *Wartburg* eumque protegit manu suâ potenti, quamvis Lutherus vituperavisset Friderici falsum cultum idolorum.



FRIDERICUS SAPIENS
SAXONIAE PRINCEPS ELECTOR
(1486-1525)

Mirabile est interdum, quomodo noster Dominus atque Deus moderetur historiae. Cui si fidem praestamus, is nos servabit. Oportet impetûs arceamus. At Deus nos etiam servabit. Licet autem nobis huic confidere.

Ipsa quoque talem rem expertus sum. Nolo hîc mihi nimiam magnitudinem attribuere. Non sum talis homo, qualis fuerunt Paulus Schneider et alii huiusmodi, qui aliquid fecerint magnum atque extraordinarium, sed aliquando in conventibus circuli ecclesiastici reclamavi. Quidam parochi postulaverunt, ut ego subirem inquisitionem doctrinae castigandae²², quia dilucide dixeram *Allah* non esse eundem deum ac nostrum Dominum atque Servatorem Christum. Fingite animis, quid hoc valeat! At in iis angustiis expertus sum quosdam homines me adiuvari, quos hoc facturos esse non exspectaveram.

Litigaveram enim cum viro quodam. Qui erat fidelis christianus, sed cum rixati essemus, paroeciam nostram reliquit. Scilicet haec res non bona fuerit. At cum ageretur de illâ inquisitione a me subeundâ, ille surrexit et prodiit ad ipsam frontem oeci. Mirum autem dictu, quod îdem vir me verê defendit, locutus est pro me, me adiuvit! Huius rei memor adhuc gratus sum Deo. Auxilium nos quoque accipimus, si clarê imus unâ cum Iesu, si eum defendimus, si studemus nos a deis alienis, ab idolis purificare, experiemur nos eodem modo adiutum iri ac Gedeonem, quem modo memoravimus.

²² inquisitio doctrinae castigandae i.e. orig. *Lehrzuchtverfahren* sive *Lehrbeanstandungsverfahren*.

De hac autem re monens velim concludere: Recordamini Gedeonem a patre adiutum esse. Etiam si paulisper sumus sôli, nisi ullus homo alius est nobiscum, hoc velim sumam ex re narratâ – unus semper adest et vobis adest, si nos eius nomen defendimus – hic est Pater, est vivus Deus. Qui stat a nobis. Si autem Deus nos protegit, nemo nobis adversatur. Itaque velim vobis animum addere, ipsis his temporibus, ubi persuasio nostra, qua clarê sequimur Christum, sôli sequimur defendimusque eum, ubi is solus est via et veritas, repellitur. Purificate vosmet ipsos ab omnibus, quae falsa insunt vitae vestrae, ubi falsi dei idolaque sunt. Et iterum iterumque defendite solum honorem nostri Domini Iesu Christi.

Quinque puncta absolvi: Imperium purificandi, purificatio domûs propriae, timor purificandi, impetus propter purificationem factus et auxilium purificandi.

Utinam noster Dominus atque Servator hanc homiliam benedicat ad vitam tuam successionemque. Amen.

Et pax Dei nostri omnipotentis, quae altior est quam omnis ratio humana nostra, servet corda nostra sensûsque in Christo Iesu, Domino nostro resurrecto et vivo.

Amen.



ECCE ECCLESIA SANCTI MARTINI BREMENSIS



ECCE OLAUS PASTOR

**ESTNE FIDEI DEFENSOR
AN PRAEDICATOR ODII ?**

Otfried Preußler
Crabatus



Hic liber habet 363 paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 21 paginas. Liber constat 49,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-35-3. TOLLE LEGE !



LEO LATINUS

**HANC EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM SECUNDAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, d.31. m.Ian. a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>